

mulierem civem et habitatricem Tergesti extra districtum Tergesti sine voluntate sui maioris, et aliquis propinquus ¹⁾ dicte mulieris persequeretur dictam mulierem et conducentem ipsam, et interfecerit extra districtum Tergesti dictam mulierem sive talem forensem conducentem, in illa conducione, ad nullam penam statuti Tergesti teneatur. ¶ Et quicumque subduxerit vel portaverit filiam uxorem neptem vel propinquam alicuius extra civitatem Tergesti absque licentia patris vel matris vel illius sub cuius potestate fuerit, vel eam in domo extra civitatem absconse vel palam invito domino tenuerit, et quicumque huic maleficio dederit auxilium, puniatur in libertate domini secundum qualitatem personarum; et si contratiens vel qui auxilium dederit non habuerit solvere, stet in carceribus comunis donec solverit.

Cap. XLIIII. De avanantibus se cognovisse uxores alienas virgines vel viduas.

Ordinamus quod quicumque se avanaverit se cognovisse vel habuisse uxorem alienam aut virginem aliquam aut aliquam viduam, et hoc dixerit coram duobus testibus ibi existentibus et audientibus etatis viginti annorum et ultra, conponat avanator libr. centum par. comuni sine aliqua remissione. ¶ Et si quis avanaverit se contraxisse matrimonium absconse cum aliqua alia persona cive Tergesti, conponat comuni libr. centum par. ¶ Salvo tamen // confessione avanancium predictorum, qua facta per coniugales, ad nullam penam teneatur qui se avanaverit. ¶ Et si talis persona homo vel mulier qui se avanaverit contraxisse matrimonium absconse vel se affidasse cum aliqua persona Tergesti esset mulier, [et mulier] cum qua qui se avanaret contraxisse vel affidasse, non contractaverit ²⁾ seu negaverit predicta, et e converso si fuerit homo, cum quo mulier dixerit se matrimonium contraxisse absconse vel se affidasse, et homo negaret predicta, quamvis probaretur per aliquos testes dictum matrimonium vel affidationem fuisse

¹⁾ Testo: *propinquus*. ²⁾ *contentaverit*.